





*N<sup>o</sup> 20*

*1752, 36.*

*7*

DISPUTATIO IVRIDICA  
VICESIMA  
SELECTIONA IVRIS  
PRINCIPIA

AD  
ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI XIII SPECIMEN I. CONTINENS

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
INDVLTV  
PRAESIDE  
IO. TOBIA RICHTERO

PHIL. ET I. V. D. NEC NON PROF. PVBL. ET  
COLLEGII MINOR. PRINCIP. COLLEGIATO

AD DIEM XXI. APRIL. A. C. N. MDCCLII.

H. L. Q. C.

PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT  
IOANNES AVGVSTVS STRECKFVS,  
LIPSIENSIS.

---

LIPSIAE  
LITTERIS LANGENHEMIIS.

*Lu D GouA*



1/20

1/20

DISPUTATIO IURIDICA  
VICESIMA  
SELECTORIA IURIS  
PRINCIPALIA

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI XII SECTIO I CONTINENS

ILLVSTRIS TOTORVM ORDINIS

INDVLT  
P R A E S I D E

IO. TORBIA RICHTERO

PHIC ET V. D. NEG. NON. PROF. PUBL. ET  
CORP. MUN. PRINC. COORDINATO

AD DIEM XII APRIL. A. C. M. MDCCCLII

PUBLICAE VENTILANDAM PROPONT

IOANNES AVGVSTVS STRECKVVS

LEIPZIGENSIS

L I N S T A B

EXTERIORI LINGVAE

Handwritten signature and scribbles at the bottom of the page.



VIRO ILLVSTRI,  
SVMME REVERENDO EXCELLENTISSIMO  
CONSVLTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO DOMINO

DOMINO  
IOANNI IACOBO  
MASCOVIO

ICTO CONSVMMATISSIMO  
REGI POLONIARVM ET ELECTORI  
SAXONIAE A CONSILII AVLAE ET IVSTITIAE,  
SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS ASSESSORI,  
CAPITVLI CIZENSIS DECANO, CIVITATIS LIPSIENSIS  
PROCONSVLI, NEC NON COLLEGII MINORIS  
PRINCIPVM COLLEGIATO AC P. T. PRAEPOSITO

PATRONO MEO AC FAVTORI

AD VRNAS VSQVE COLENDO

VIRO ILLUSTRI,  
SVMME REVERENDO EXCELLENTISSIMO  
CONSULTISSIMO ATOVE AMPLISSIMO DOMINO

DOMINO  
IOANNI IACOBO  
MASSCOVIO

ICHO CONSULTISSIMO  
REGI POLONIAM ET ELECTORI  
SAXONIAE A CONSILIO ALIAE ET IUSTITIAE  
SUPREMAE CURIAE PROVINCIALIS ASSESSORI  
CAPITULI CIZENSIS DECANO, CIVITATIS LITENSIS  
PROCONSULI, NEC NON COLLEGI MINORIS  
PRINCIPVM COLLEGIATO AC R. T. TRAFESTO

PATRONO MEO AC FAVTORI

AD VINDAS VSOVE COLENDO

VIR ILLVSTRIS  
SVMME REVERENDE EXCELLENTISSIME  
IVRIVM CONSVLTISSIME AMPLISSIME  
MOECENAS AETERNVM COLENDE.

**T**E in cognitione publicarum rerum, ac  
omnis generis prudentia summum, litte-  
ris et hac mea dissertatione adire, et in  
humanitatis TVAE sacrarium quasi  
irrumperе, satis quidem temere factum mihi videba-  
tur; verum ingens TVA benevolentia, qua saepenume-  
ro studiorum meorum rationem habuisti, meque profe-  
quutus es, spem faciebat, fore, ut et benevole hoc  
qualecunque controuersiarum quarundam opusculum  
excepturus esses. Quum enim TVVM animum non  
solum in ipsas litteras, sed in earum quoque cultores,  
praecipue autem sacratissimae iurisprudentiae dedi-  
tos, propensissimum cognouerim, hoc leuiusculum scri-  
ptum, ea qua par est obseruantia pietateque, TIBI  
offerre

offerre atque dedicare, simulac ad patrociniū  
TVVM incomparabile, fauoremque exoptatissimū  
adspirare, haud amplius haesitanti. TV modo VIR  
ILLVSTRIS, PATRONE ad urnas vsque co-  
lende, gratissimae TIBIque deditissimae hoc mentis  
meae signum, animo beneuolo ac propenso suscipias,  
aequi bonique consulas, mibique inter clientes  
TVOS aliquantulum tantum concedas locum, quam  
obseruantissime abs TE peto atque contendo. Hoc  
si me dignari TIBI non displicuerit, fiet profecto  
vt nouo quodam eoque grauissimo praesidio mea omnia  
mirifice munita conspiciantur. Ceterum Deus O. M.  
TIBI, VIR ILLVSTRIS vitam longaeuam,  
omniumque rerum TVARVM statum prosperri-  
mum, et accessiones florentissimas largiatur, vt et rei-  
publicae sapientissima TVA consilia in posterum ad-  
huc profint, et alii mecum in TE firmissimum seli-  
citatū fulcrum sibi gratulari queant. Permaneo

ILLVSTRIS TVI NOMINIS

Dabam Lipsiae d. 20. April.

MDCCLII.

ADDICTISSIMVS CVLTOR

IOANNES AVGVSTVS STRECKFVSIVS,

L I P S I A E





Q. D. E. V.  
SELECTIORVM IVRIS  
PRINCIPIORVM  
AD DIGESTORVM  
LIBRVM XIII. SPECIMEN I.



§. I.

Condictio furtiva, non ex delicto, quod nonnulli sibi persuadent,<sup>a)</sup> sed ex Lege oritur, et in odium furum introducta est.<sup>b)</sup> Quamvis enim illa furtum semper supponat, quod res ipsa docet; ex delicto tamen ideo deriuari nequit, quia rei persecutoria est; <sup>c)</sup> et contra heredes competit, <sup>d)</sup> quippe qui ex delicto defuncti nunquam conueniri possunt. <sup>e)</sup> Neque vero noua res est, quod actiones quaedam

8 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

dam immediate ex Lege descendant; nam et ad exhibendum actio eiusmodi dativa, quam DD. appellant, esse conspicitur. Non tamen est, quod cum CARPZOVIO <sup>f)</sup> statuamus, fundamentum conditionis nostrae, in tacita hypotheca Legibus introducta ponendum esse; etenim tacita hypotheca non est, nisi expressa Lege constituta: Leges vero ea de re silent, et quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias. <sup>g)</sup>

- a) LVDVIGI Doctr. Pand. Lib XIII, Tit. I. §. 1.
- b) vid. §. 14. I. de actionib.
- c) all. §. 14. et 18. I. de action. et L. 1. C. de condict. furt.
- d) §. 19. I. de obligat. quae ex delict. add. L. 8. §. 1. L. vt. ff. de condict. furt. et L. 91. §. 3. ff. d. V. O.
- e) L. 38. ff. de R. I. L. 22. C. de poen.
- f) P. IV. Const. 39. def. vlt.
- g) vid. L. 14. ff. de Legib. L. 141. pr. ff. de R. I.

II.

Heredes furis conditione furtiva conueni, non tantum omnem culpam, sed et casum fortuitum praestare tenentur. Fur enim semper est in mora, <sup>a)</sup> vnde perpetua fit obligatio, <sup>b)</sup> eoque transitoria ad heredes. Hinc heres qui defunctum repraesentat, ad idem obstringitur, ad quod ille tenebatur. Sed fur ob

ob moram et culpam, teste TRYPHONIO<sup>c)</sup> fortuitum rei furtivae casum ferre debebat; quare heres eiusdem non poterit non rem a defuncto fure ablatam, casuque peremptam praestare.

a) L. 8. §. 1. ff. decondict. furt.

b) L. 91. §. 3. ff. de V. O.

c) L. 20. ff. de condict. furt.

### III.

Condictio ex Lege quatenus ob pacta legitima competit, hodiernis moribus nullius est utilitatis. Postquam enim hodie quodvis pactum nudum servatur, non opus est singulari confirmatione Legis, sed quilibet ex conventionione simplici, quod nec tirones fugit, conveniri potest; hinc pacta legitima hodie sunt non ens, adeoque fieri non potest, ut ex iisdem conditioni ex Lege unquam locus relinquatur. Quatenus vero laudata condictio ex Lege, praeter pactum, vel ex statuto vel consuetudine competit, equidem nullus dubito, quin usum hodieque in foro sit habitura.

### IV.

Condictioe triticaria ad id quod interest, ex iure Digestorum separatim instituenda,

B

hodie

IO SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

hodie carere possumus. Non enim tantum ipso iure ciuili nouiori, in omnibus rebus praecipuam esse debere iustitiae aequitatisque, quam stricti iuris rationem, cautum; \*) sed et moribus ius naturale tanquam omnis iuris aequitatisque fundamentum seruari certum est. Iam vero ius naturae praecipit, eum, qui sua culpa alterum laedit, ad indemnitatem, adeoque si causa damni est, ad illius reparationem, teneri, ac in eo aequitas omnino manifesta conspicitur; hinc ob hanc solam naturalem rationem hodiernum, vel statim ex contractu principali, vel etiam separatim, ad id quod interest, quin agi possit, vix vllus dubitabit.

\*) L. 8. C. de iudiciis.

Dissentire a nobis videtur SCHILTERVS Exercitat. XXIV. §. 6r.

V.

Instituta condicione de eo quod certo loco, etiam rei ratio quandoque haberi potest, quamuis hic sit in mora. \*) Ponamus enim reum alio quam conuento loco conueniri, ac in id quod interest, condemnari, eum vero in moneta debita grauiori meliorique auctori soluere; nonne id, in quo grauior moneta leuiorem debitam excedit, quodque vulgo l'agio appellamus, deducere licebit? Voluti

luti si quis Lipsiae debebat, sed Hamburgi nummos Hamburgenses soluebat. Certe neque hoc casu actor plus debito petere, aut cum rei damno locupletior fieri debet. Atque haec est LAVTERBACHII <sup>b)</sup> sententia, quam nonnulli sine ratione reiecerunt.

a) L. 2. pr. ff. de eo quod certo loco, §. 33. I. de actioni-  
ibi ratio habetur utilitatis, quae promissori competi-  
tura fuisset.

b) LAVTERBACH. Coll. Pand. Lib. XIII. Tit. 4. §. 9.  
Dissent. LUDOVICI Doctr. Pandect. Lib. XIII. Tit. 4. §.  
capit. 6. quia morosus non haberet conquerendi causam.

## VI.

Constituti hodie nulla est utilitas, siue eum casum spectes, quo quis proprium debitum iterata vice, siue alterum, quo quis alienum debitum se soluturum promisit. Nam hodie, quod inter omnes constat, simplex ac nudum pactum, in se validissimum est, hinc nec in debito proprio, iterato consensu: nec in debito alieno promisso, iure praetoris opus esse potest. Neque ergo eo casu aliquam utilitatem tribuo constituto, quo quis debitum alienum in se suscepit, certumque diem solutioni dixit; nam et hoc casu aliud quam pactum, nihil reperio, ex quo solo tanquam negotio in se satis obligatorio res decidenda est.

Si quis aliud sibi persuadeat, persuadebit sibi profecto id quo supersedere poterat.

Obst. arg. L. 22. C. ad Sct. Vellei. ex qua colligitur: iteratum consensum excludere omnem animi non deliberati exceptionem.

## VII.

Furtum usus a commodatario commissum, quoties re commodata aliter usus est, quam utendam accepit, veluti si quis equum gestandi causa commodatum, sibi longius aliquo duxerit, <sup>a)</sup> non quidem poena quadam publica, sed priuata tantum hodieque coeretur. Etenim eiusmodi fur magis perfide conuentionis Leges, quam publicam tranquillitatem violauit. <sup>b)</sup> Hinc etiam commodans eo casu non tantum ad id quod interest, sed etiam ad poenam sibi adiudicandam habebit actionem; alias enim inter hoc furtum et aliud datum damnum, quod pro furto non habetur, nulla foret differentia, et abusus iste rei commodatae in Legibus frustra furtum appellaretur. Neque multum dubito, quin actio furti, pro re nata vel ad quadruplum vel ad duplum locum sibi vindicet, <sup>c)</sup> etiam hodie, cum nec Lege quadam ea sublata, nec in foro adeo rari sit, ut quis ex causa priuata, plus quam  
sim-

simpulum, poenae loco ab aduersario petere possit.<sup>d)</sup> Fisco igitur ab eiusmodi fure usus, poenam nullam deberi firmiter assero. Et quamuis hodie id quidem furti poenae accesserit, quod fures simul publice puniantur; attamen cum ei qui laesus est, poena debeatur<sup>e)</sup> distinguendum est, inter furtum, quo priuatus vnice laesus est, et inter id, quo respublica laesa simul conspicitur, illoque casu priuato solum: hoc autem reipublicae simul poenam deberi, statuendum est.

a) v. §. 6. 7. I. de obligat. quae ex delict. nasc. add. L. 5. §. 8. ff. commodat. vel contr.

b) arg. all. L. 5. §. 8. in f. ff. commod. vel contr. et L. 55. §. 1. ff. de administrat. tutor. CARPZOV. Pract. Crim. Qu. LXXXV. n. 68.

c) arg. L. 54. §. 1. L. 12. §. 2. et L. 46. §. 1. et 2. ff. de furtis.

d) De Iure Sax. vid. Ord. Recog. Tit. XVI. §. 3. it. in Append. §. 4.

e) arg. Constit. Crim. Act. CLX. ibi. Mehr soll ermesen werden, wie schädlich dem Beschädigten der Diebstahl seyn mag, und die Straffe darnach urtheilen.

Obst. Const. Crim. art. CLXX. ibi: solche Missethat ist einen Diebstahl gleich zu straffen.

## VIII.

Commodatarius rem furto ablatam,  
quam a fure vel praedone commodatam ac-

B 3

cepit,

#### 14 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

cepit, retinere et commodanti denegare tunc potest, si certum est, rem surreptam esse. Tunc enim iustior petitio est illius, cui res ea surrepta est, quam furis commodantis, quandoquidem suum cuique tribuendum est.<sup>a)</sup> Quodsi nunc de domino rei constet, commodatarius aduersus commodantem iure retentionis gaudebit, ideo, vt vero domino restituatur: Sin adhuc incertum, quis ille sit, cui res ablata, iudici id denunciaſſe remque tradidiſſe iuuabit, vt dominus exquiri poſſit, nec re ſua priuetur.

a) §. 3. I. d. Iust. et Iure.

Obſt. L. 16. ff. Commodat. vel contr.

#### IX.

Quoties caſu fortuito contingit, vt res commodatarii propriae pariter atque commo- datae, eidem periculo ſint expoſitae, toties quidem commodatarius ex mente VLP IANI<sup>a)</sup> res commodatas imprimis ſalvas facere, ſuis- que praeferre, aut ſi ſecus fecerit, damnum reſarcire tenetur. Sed hoc tantum verum eſt, ſi res commodatae pretioſiores ſunt propriis, aut cum his eiusdem pretii. Si vero commodata res vilior, et propria pretioſior eſt, commodatarius his illas, neque praeferre, neque ſi illae perie- rint, earum aeftimationem commodanti re- pendere



pendere tenetur. Nam ratio laudatae Legis haec est; quia commodatarius culpam leuissimam praestat. b) At vero qui rem propriam pretiosiore, rei commodatae viliori praefert, et ex naufragio vel incendio eripit, is contra diligentissimi patrisfamilias officium non peccat, quia in eiusmodi periculo communi iamiam orto, partim tempore excluditur, quo deliberare, culpaque gradum emetiri potest, partim sibi adhuc manet proximus. c) Accedit, quod nondum confectum sit, vtrum commodatarius sua diligentia, casum fortuitum auertere teneatur, aut etiam auertere possit.

a) L. 5. §. 4. ff. Commodat. vel contr.

b) arg. L. 5. §. 2. in f. ff. eod.

c) conf. LAVTERBACHII Colleg. Pandectar. Lib. XIII. Tit. 6. §. 19. ibique all. DD.

## X.

Plures commodatarii in solidum tenentur, non tantum si commodans fidem singulorum in solidum sit secutus; a) sed et quoties omnes re commodata in solidum vti possunt. Hunc enim casum ab illo diuersissimum VLPIANVS b) proponit et explicat his verbis: *Si duobus vehiculum commodatum sit, vel locatum*

locatum simul, Celsus filius scripsit Libro VI. Digestorum, quaeri posse, utrum unusquisque eorum in solidum, an pro parte teneatur? Et ait, duorum quidem in solidum dominium, vel possessionem esse non posse, nec quemquam partem corporis dominum esse: sed totius corporis pro in diuiso pro parte dominium habere. Usus autem balnei quidem vel porticus, vel campi unuscuiusque in solidum esse, neque enim minus me uti quod et alius uteretur: verum in vehiculo commodato vel locato, pro parte quidem effectum me usum habere, quia non omnia loca vehiculi teneam; sed esse verius, ait, et dolum et culpam et diligentiam et custodiam in totum me praestare debere. Quare duo quodammodo rei habebuntur: et si alter conuentus praestiterit, liberabit alterum, et ambobus competit furti actio. Quoniam itaque commodata re alter non minus utitur, quam alter, idemque usus in vnoquoque pro indigentia sua plenissimus est; hinc Ictus omnes eo casu citra conuentionem in totum teneri statuit.

a) L. 9. ff. de duobus reis.

b) L. 5. §. 15. ff. Commodat. vel contr.

Paulo aliter dictam Legem explicant LAUTERBACH  
Coll. Pand. Lib. XIII. Tit. 6. §. 15. et LYDÓVICI  
Doctr. Pand. Lib. XIII. Tit. 6. §. 10.

## XI.

Doli praeteriti praestatio remitti omnino potest; cuilibet enim integrum est, an iure suo quaesito uti, damnique reparationem petere: an vero fauori pro se introducto renu-  
ciare, suumque ius contemnere velit. <sup>a)</sup> Accedit quod PAVLVS <sup>b)</sup> ait: *Pacta quae turpem causam continent, non sunt obseruanda; veluti si paciscar, ne furti agam vel iniuriarum, si feceris: expedit enim timere furti vel iniuriarum poenam. Sed post admissa haec pacisci possumus.*

a) L. vi. C. de pact.

b) L. 27. §. 4. ff. de pact.

## XII.

Diuisio casus fortuiti, in eum, qui est insolitus, ac in insolitissimum, prorsus inanis est; appellant autem DD. insolitum, qui saepius, aut forte singulis annis euenit, et insolitissimum qui rarissime accidit. <sup>a)</sup> Si quid enim certo tempore euenit, et praeuideri potest, pro casu fortuito haberi nequit, quia contra fortuiti casus indolem est, aliquid certo tempore praeuidere, et casui tamen accensere. <sup>b)</sup> Cum itaque casus fortuitus tantum ita contin-  
C  
gere

gere possit, vt nec certo eueniat tempore, nec praeuideri aut auerti possit, male profecto insolitum inter et insolitissimum casum a DD. distinguitur, quia nullus fortuitus casus, ob sui naturam, habet normam. Quo demonstrato, certum quam quod certissimum est, eum, qui casum fortuitum in se recepit, alterum securum reddere voluisse, quacunque etiam vi fatali damnum acciderit. c)

- a) de qua doctrina vid: HIERON. PANTZSCHMANN. Quaestion. Pract. Lib. I. qu. 8.
- b) de indole casus fortuiti vid. *diff. nostr. de conditionibus potestatiuis et mixtis casu deficientibus, in vltimis voluntatibus pro adimpletis habendis. §. 4.* quae eo redit, vt sit inopinatus euentus, quem nemo praeuidere praeuisumque auertere potest.
- c) vid. LAVTERBACH. Colleg. Pand. Lib. XIII. Tit. 6. §. 47. qui tamen simul cum GAILIO Lib. II. Obs. 23. n. 18. aliisque testatur, contrariam sententiam in foro communem esse.

## XIII.

Hypotheca differt a pignore in specie, tantum quod res oppignorata in hoc semper, in illa nunquam tradatur. Ita enim IVSTINIANVS imperator a) constituit: *Sed in aliis differentia est; nam pignoris appellatione eam rem proprie*

proprie contineri dicimus, quae simul etiam traditur creditori, maxime si mobilis sit. At eam, quae sine traditione nuda conventionione tenetur, proprie hypothecae appellatione contineri dicimus. Quicquid igitur ab aliis defenditur, hypothecam in re immobili: pignus vero in mobili re constitui, fundamento caret.

a) §. 7. I. de action.

Obst. §. all. 7. I. de Action. et L. 5. §. i. ff. de pignori. it. L. 238. §. 2. ff. de V. S.

## XIV.

Quemadmodum correctio Legum, quae a privato fit, in se illicita res est; <sup>a)</sup> ita tanto minus licita censei potest, vbi chirurgica illa opera ne quidem indigemus, sed ab vno quouis genuinis principiis instructo, Lex quaedam primo intuitu difficilis, facile tamen intelligitur. Sit exemplo effatum VLPIANI, <sup>b)</sup> quando de pignoratitia actione haec proponit: *Venit autem in hac actione et dolus et culpa, vt in commodato, venit et custodia; vis maior non venit.* Negari non potest, quod quaedam in his verbis occurrant, quae intellectu difficillima videntur; vnde Lex ista etiam a non-

C 2

nullis

nullis crux ICTorum appellari solet. <sup>e)</sup> Veluti obscura videntur verba: *vt in commodato*, cum ex his colligi forte possit, contra iuris analogiam, in contractu pignoratitio eandem, quam in commodato, culpam venire praestandam: neque clariora videntur, quae sequuntur: *venit et custodia*, quandoquidem his plus imponi, quam leuissimam culpam, sibi quis facile persuadere potest. Hoc animaduenterunt nonnulli, atque de vero Legis eiusdem sensu solliciti fuerunt, attamen interpretationis iustae loco secuerunt, et uoui quid substituerunt. Audiamus praecipuos correctores. Primus eorum, quantum equidem scio, fuit IOANNES NIELLIUS <sup>a)</sup> Professor Marpurgensis, qui omnem obscuritatis culpam in librariorum reiecit, quod in allegatis verbis Legis, pro *at*, reposuissent *vt*, atque ea coniectura motus loco vocis *vt*, legendum esse statuit: *at in commodato venit et custodia*. Quam emendationem satis commodam ideo sibi persuasit NIELLIUS, quia vnica tantum littera cum simillima permutaretur. Hunc secuti sunt GERARDVS NOODT <sup>e)</sup> et alii. <sup>f)</sup> Taceo iam de aliis, qui vel transpositione vocabulorum, vt idem NIELLIUS, vel mutata interpunctione, vt nuperrime Consultissimus D. DIEDERICVS GODFREDVS

DOFREDVS

DOFREDVS LAMPRECHT, <sup>s)</sup> vel singulari  
 posito casu, quem Lex contineret, vt CON-  
 TIVS et CVIACIVS, <sup>b)</sup> vel denique alia fictio-  
 ne, quod VLPIANVS non de pignoratitia, sed  
 alia actione, locutus sit, vt WIELINGIVS <sup>i)</sup>  
 difficultatem tollere studuerunt. Ego vero  
 harum opinionum nulli accedens, imprimis  
 correctionem NIELLII reprobato, et tamen,  
 retenta etiam vulgari interpunctione, verum  
 et analogiae iuris egregie conuenientem sen-  
 sum Legis patere, censeo. Facio periculum.  
 Scilicet ICTUS in verbis: *venit in hac actione  
 et dolus et culpa*, tantum generaliter ac inde-  
 finite locutus est, statuitque quod in pigno-  
 ratitia actione, vt in commodato, praeter dolum  
 adhuc culpa praestari debeat, cum sint quidam  
 contractus, in quibus dolus tantum praestatur.  
 Cuiusmodi indefinite loquendi ratione idem  
 ICTUS et alibi vtitur, veluti: <sup>k)</sup> *Et quidem in  
 contractibus interdum dolum solum, inter-  
 dum et culpam praestamus; item: <sup>l)</sup> Contra-  
 ctus quidam dolum malum duntaxat recipiunt:  
 quidam et dolum et culpam: dolum tantum de-  
 positum et precarium: dolum et culpam, man-  
 datum, commodatum, venditum, pignori acce-  
 ptum, locatum etc.* Quo loco monendum est,  
 quod, si quis gradum culpa in quolibet con-

tractu sigillatim praestandum, ex his Legum verbis deriuare velit, illud incongruum inde sequeretur, vt mandatarius et commodatarius, eandem quam emtor et venditor, debitor et creditor, locator et conductor culpam praestarent. <sup>m)</sup> Hac itaque propositione, quod in contractu pignoratitio, pariter atque commodato, praeter dolum adhuc culpa praestanda sit, contentus ICTus, quaestionem aliam: num in vtroque contractu eadem, aut qualis in alterutro culpa praestari debeat? hac Lege plane intactam reliquit, quippe de qua aliunde iam satis constabat. Ita primus nodus dissolutus est. Deinde quod attinet ad verba: *Venit et custodia*, haec aliter accipi non possunt, quam secundum negotii naturam, de custodia illa, quam quilibet, qui rem alienam detinet, ac in specie restituere obstringitur, adhibere tenetur. Idque inde est certissimum, quod hic de contractu pignoratitio agatur, qui super pignore in specie, creditorique tradito, celebratus est. Cumque creditor hoc casu post solutum pignoris vinculum, rem oppignoratam in specie restituere teneatur, ob negotii indolem necesse est, vt rem aliquando in specie restituendam custodiat. <sup>n)</sup> Nec in eo a pignore



re differt commodatum, cum et commodatarius rem eandem reddere, adeoque custodire teneatur. Fallunt igitur mirifice, qui in Lege nostra, vocem *custodia*, de culpa leuissima interpretantur, quandoquidem si id verum esset, depositarius ad custodiam obligatus, forsitan non minus culpam leuissimam praestaret, quod tamen absonum est. Ad haec VLPPIANVS °) *in re commodata dolum, culpam, diligentiam et custodiam praestanda esse*, ait: quid autem quaeso custodia hic significat? ex communi doctrina procul dubio culpae gradum quem ignoramus, videlicet ultra culpam leuissimam. Absit vt eiusmodi somniis corripiamur. Ita qui meditari scit, erudita non indiget falce.


- a) vid. L. 1. §. 7. L. 2. §. 21. L. 3. §. 19. C. de vet. iur. enucl.
- b) in L. 13. §. 1. ff. de pignorat. act.
- c) vid. DIEDERICI GODOFREDI LAMPRECHTI diss. inaugur: Commentatio ad L. XIII. Dig. de pignoratitia actione. Göttingae 1750. habita. §. 1.
- d) IO. NIELLI Controversiae Iuris Feudalis Disputationibus XI. enucleatae. Edit. Marpurgens. ann. 1597. Disputat. III. §. 6. corollar. n. k.) p. 47.
- e) in Probabilibus Iuris Ciuilibus Lib. I. cap. 4. qui et aliorum opiniones recenset.
- f) Conf.

24 SELECT. IVRIS PRINCIPIA ETC.

- f) Conf. ANONYMI Miscell. Obseruat. in Auct. Vet. et Recent. Vol. III. T. I. p. 126.
- g) in all. Diff. Commentatio ad L. XIII. D. de pignorat. act. §. 13.
- h) Quorum opiniones et refert et reiicit laudatus GERARD. NOODT. all. loc. Lib. I. Probabil. Iur. Ciu. cap. 4.
- i) in Lectio. Iur. Ciu. Lib. I. c. 7. p. 24.
- k) in L. 5. §. 2. ff. Commodat. vel contr.
- l) in L. 23. ff. de Reg. Iur.
- m) contra manifestam Legis dispositionem in L. 5. §. 2. ff. Commodat. vel contr.
- n) Conf. L. 19. C. de pignorib. et hypoth.
- o) L. 5. §. vlt. ff. Commodat. vel contr.







ULB Halle  
005 372 50X

3



WIP







106

N<sup>o</sup> 20

1752,36.

7

DISPUTATIO IURIDICA  
VICESIMA  
**SELECTIORA IURIS  
PRINCIPIA**

AD  
ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI XIII. SPECIMEN I. CONTINENS

QVAM  
**ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS**  
INDVLTV  
PRAESIDE

**IO. TOBIA RICHTERO**

PHIL. ET I. V. D. NEC NON PROF. PVBL. ET  
COLLEGII MINOR. PRINCIP. COLLEGIATO

AD DIEM XXI. APRIL. A. C. N. MDCCLII.

H. L. Q. C.  
PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT  
**IOANNES AVGVSTVS STRECKFVS,**  
LIPSIENSIS.

LIPSIAE  
LITTERIS LANGENHEMIIIS.

*Lu D. Richter*

